Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

[Widmung]

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

De vita B. Francisci Xaverij
Qui primus è Societate IESV in Indiam et
Japoniam Euangelium invexit.
Libri Sex.
Horatij Tursellini è Societate IESV.
Ab eodem aucti et recogniti. in hac ultimâ editione.
Lugduni
Sumptibus Petri Rigaud in vico Merca-
torio, sub signo Horologij
M. DC. VII.
Cum Privilegio Regis

Facultas R. P. Provincialis Societatis IESV.
in Provincia Lugdunensi.
Ludovicus Richeomus Provincialis collegiorum Socieb-
tis IESV in provincia Lugdunensi iuxta privilegium
eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico
III. die 10. May. 1583. et Henrico IV. nunc regnante
20. X.bris 1606 concessum quo Bibliopolis omnibus
prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus
conscriptos absque illorum permissione imprimant.
permittit Petro Rigaud Lugdunensi Bibliopolae
ut vitam B. Francisci Xaverij ad sex proximos
annos imprimere et libere vendere possit. Datum
Lugduni. 12. May. 1607.
Ludovicus Richeomus

Effigies B.ti Xaverij
B. Franciscus Xaverius, qui primus è Societate
IESV fidem in Indiam invexit, Obijt A.o 1552
Decemb: 2.
Jacob. de Zetter fecit

Christe, sat est, clamas: exundant ubera caeli
Pectora: nec tantum mens capit alta Deum.
Pande sinus, Francisce Pater, totum accipe Numen
Ingens effundas, quod superabit, amor

J. E. Maillot
Canonicus Monasterij Grandisvallis

Vita S. Francisci Xaverij
Horatij Tursellini Soc: JESV.

## Auctor Lectori.

Nimirum nihil simul inchoatum et perfectum est. Nec posteriora solum consilia, sed etiam opera meliora. Scripseram annis superioribus Francisci Xaverij vita quanta maxima potui vel diligentia vel fide. Caeterum illam Xaverij effigiem me absente vulgatam vix egomet agnoscebam: adeo multis eam mendis inquinatam atque oblitam vidi. Nec mendosa magis quam manca prodijt in lucem. Nam cum olim Lusitani Regis iussu ab India' Procge egregia Francisci facta conquirerentur, celeriter perscripta sunt, quae ille in Lusitanâ ditione praeclarè gesserat. Neque haec omnia, sed quaecunque ex idoneis testibus, qui aderant, potuere cognosci. Caetera vero praesertim apud Sinas Japonesque ab eo gesta, quamuis memoranda atque illustria maximam partem in silentio ac tenebris iacuerant. Itaque cum nuper haec quoque ab his, qui per id tempus apud Sinas vel Japones versabantur, conscripta in manus meas aliquando pervenissent, feci non invitus, ut ea primo quoque tempore in Latinum converterem, et cum fide suis inserterem locis. Etsi enim ab integro tractandi ac propè denuo reficiendi operis labor non nihil animum ab incepto deterrebat meum; vicit tamen laboris difficultatem quà Xaverij amor, quà studium publicae utilitatis. Novorum quippe factorum tanta fuit tum copia, tum dignitas, ut quatuor libros (ne plus nimio excrescerent) in sex distrahi oportuerit. Porrò ut Xaverius noster sicut instructior, ita emendatior prodiret in publicum, omni ope atque operâ nixus sum.

quamquam

Vita S. Francisci Xaverij
Horatij Tursellini S.J. 

Quamquam aduersus errata nunquam satis est cauta
mortalitas, ut prudentissimus quisque iustissimusque
rerum æstimator emendatissimum iudicare debeat,
quod minimè mendosum in hoc genere esse videat.
Vale.

S. D. N. D.
Clementis VIII. Pont: Opt: Max:

Etsi Pontificia Maiestas, quæ proximè accedit
ad Deum, Pater Beatissime, deterrebat humilita-
tem meam ab eo conando quod molior, tamen illa
nos minus benigna probitas, quàm serena impe-
rii clementia, quam tuum nomen ac vultus
pollicetur, animum erexit, affecitque meum, ut hoc
gratumque munusculum, tibi utique optimo iure
debitum, offerre non dubitarem. Mitto beneuo-
lentiæ tuæ in Societatem nostram indicia nec parum
nec obscura, quibus nos deuinxisti in perpetuum
uniuersos. Increuit, fateor, iste ardor animi, studi-
umque Christianæ Religionis, vel tuendæ, vel pro-
pagandæ, postulare, atque adeò flagitare vi-
debatur, ut vulganda B. Francisci Xauerij vita
in tuo potissimum nomine appareret. Quippe
vir ille, miro Dei hominúmque amore ardens
non modò auitam religionem iam pene labascentem in Eu-
ropa Asiáque orâ, quæ Indos continet, diligen-
ter excoluit; verum etiam trans Gangem per ignotas
antiquitati viros ac nationes Christi nomen
circumtulit: longissiméque progressus in ultimas
Orientis oras, ad ipsos Japones, in orbis terræ an-
gulo sitos, Euangelij semen primus inuexit. Quocir-
ca quis non videt æquum ac par fuisse, talis ut
viri vita, cuius in India, totóque Oriente æterna
extant